

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,  
De

PLATANO,

*Quam*

Approbante Amplissima FAC. PHIL.

*In Illustri Athenæo Aboënsi;*

SUB

PRÆSIDIO,

VIRI AMPLISSIMI

DN. M. PETRI HAHN,

Scientiæ Natur. Prof. Ord. Celeberrimi,  
Academiæ Bibliothec. dexterrimi, Præceptoris  
& Promotoris sui, submissa veneratione  
æratem colendi,

*Publico Philosophantium examini modestè sistit*

JOHANNES OSORBIUS/

*Smolandus.*

In Auditorio Maximo,

*Ad diem secundum Novembris, Anno 1675.*

*horis ab octava matutinis.*

---

Impr. apud Jo. WALLIUM.

REVERENDISSIMO ATQVE AMPLIS-  
SIMO DOMINO,

DN. SAMUELI  
WIRÆNIO,

S.S. Theologiæ DOCTORI Con-  
summatissimo, Diœceleos Wexi-  
onensis EPISCOPO Eminen-  
tissimo, Consistorii Ecclesiastici  
PRÆSIDI Gravissimo, Gy-  
mnasii Regii, Scholarumque IN-  
SPECTORI Excellentissimo, Mæ-  
cenati, Evergetæ, ac Patrono ma-  
gno, humilima reverentia, ani-  
mique obsequio, ætatem  
devenerando.



Qvod splendidissimo Tuo nomini, Reverendiss: ac Ampliss: Pater: tenellas hasce & immaturas ingenii primitias inscribere non sum veritus, facit ingens & incomparabilis ista Tua in Musas eorumque cultores benignitas, qua fretus exile hoc specimen Academicum, ad pedes Reverendiss: T: Amplitudin: humilime depono, devotis simul adjunctis precibus, dignetur Reverend T: Ampli: illud serena fronte, placidoque vultu respicere, meque qui opem atque benignissimum Tuum auxilium ea, qua par est, hoc est, humilima mente imploro, in numerum Clientum, pro salute & incolumitate Tua perenni adsiduis indefessisque suspiriis, vota fundentium, benigne recipere. Ego interim DEUM calidis suspiriis venerari non cessabo, ut Rev: Tuam Ampli: in Ecclesie sue Emolumentum in multos annorum flexus, quam felicissime superesse jubeat.

Reverendiss. Tuæ Amplitudinis

humilimus cliens

J. L.

VIRO

*Speçtatissimo & honoratissimo*

**Dn. JOHANNI  
LÜTKENS/**

**Civi ac Mercatori A-  
boënsi percelebri, Nutritio ut li-  
beralissimo, ita honore debi-  
to officiosè prose-  
quendo.**

**M**aritima illa avis Halcyon, Nutri-  
tie, & Benefactor indulgenti-  
ssime, in scopulis vasti maris nidi-  
ficat, glaciali hyeme ova parit, jaetata à  
fluctibus, tolerat unam undam post alteram,  
unum turbidum diem post alterum; sed ta-  
men & salam, licet turbidum & minax  
halcyone ovis incubante, pullosque exclus-  
sura, huic tanquam inserviens, quietum est  
& placidum. Conditionem hujus sepius &  
ego mecum perpendere soleo, novercantis  
fortune procellis jaetatus, quæ studiorum  
cursui remoram atque obicem objicere semper  
adsolet. Parili etiam modo egomet, cum dif-  
ficili Musarum sorte consuetari feliciter, &  
tenellum hunc informem tenuis ingenii fœ-  
tum producere non possem, nisi favore & sub-  
sidiis tuis niterer, Nutritie indulgentissime,  
apud te itaq; hocce quaecumq; exiguum munus  
Chartaceum officiose depono, rogans di-

generis idem faventi animo suscipere, me-  
que in numero eorum, quibus semper bene  
cupis, quosque favore & benevolentia  
prosequaris, perpetua retinere. Ego vicissim  
quamdiu vivus fuero, pro Tua incolumi-  
tate DEUM precari non desinam, ut Te in  
sui nominis gloriam Tui tuorumque decus  
& adificationem, in multos Annos felicissime  
me conservet!

Nomini Tuo

addictissimus

J. L.

VIRO

VIRO-JUVENI

*Artium Humaniorum Virtutumque cultu  
exquisite polito,*

DN. JOHANNI

LEONHARDI

Disputationem de PLATANO, solertèr  
contextam, masculè defensanti,  
Commiliti & Amico:

**U***mbriferam Platanum, gratam sudan-  
tibus umbram,  
Tempore ferventi, quæ ministrare  
solet,*

*gnaviter ostendis, scriptoque aperire laboras  
ejus virtutes eximiumque decus.*

*In sylvis Platanus frondes expandit o-  
pacas;*

*Agger, at, aëriam, nunc tulit, En!  
Platanum.*

*Ab ea die 7 Idus  
Octob. A. 1695.*

*L. M. q; licet festinatò,  
adgratabar*

SIMON T&PDI

*Met. & Log. Prof. Ord.  
P. P.*



PLATANUS



H. S. sculp.





J EHOVA SUMMA LÆTITIA.



*Ulla sunt, Benigne ac Candide  
Lector, hujus mundi sub-  
terranei divitiæ, quæ oculos  
nostros, pariter & animos,  
ambitiosa quasi delectatione  
foaditer afficiunt; Et quamvis nulla res  
creata tam sit exigua, tamque in conspectu  
nostro vilis, quin Conditoris sui, tum omni-  
potentiam æternam, tum sapientiam immen-  
sam, ostendat declaretque evidentissime; adeo  
ut nulli tanta sit vis ingenii, nulli adeo grande  
judicium, ut omnes rerum thesauros, viresque  
latentes exacte penetrare valeat; Nihilomi-  
nus tamen, peculiarem quandam dignitatem  
sensibus mentibusq; nostris insinuat arborum  
excelsa majestas. Hæ namque sive foliorum  
species elegantiam, sive ad radicem firmissima,  
famelicæ tuas cogitationes demittas, ped-*

menta; sive quamcunque illarum partem, tibi contemplari placet; tot sane curiosis tuis meditationibus, naturæ atque virium suarum, commendabunt miracula, quot in toto suo corpore continent particulas, tot easdem excellere percipies utilitatibus, tantaque pollere jucunditate, ut hisce eisdem bonis, condigne de prædicandis, nullius sufficiat flumen eloquentiæ. Quod cum ita sit, laboris me quod non pœnitebit, spero, si unam tantum speciem ex arboribus, platani scilicet loco speciminis Academici, describendam mihi sumsero & sub examinis publici incudem misero. Quod dum facio, Tuum, O benigne Lector, favorem & benignam interpretationem, eâ, quâ par est, reverentiâ imploro!

## MEMBRUM PRIMUM.

**S**ub initium nostri discursus, meritò nobis in memoriam revocamus decretum Doctiorum, quo sapientissimo sancitum est instituto, ut ab explanatione nominis incipiat accuratior rerum expositio. Est autem Platanus origine vox Græca, quæ originem suam de-

deducit ἀπὸ τῆς πλάτους, sive à latitudinē;  
 vestitur namque hæc arbor foliis opa-  
 cis, ramisque latis longis, quæ forte  
 Platani natura occasionem dedit voca-  
 bulo sveco, *Ednn à lönlig / förborgad*/  
 non ideo quod hæc arbor in occulto  
 habeatur, nullique destinetur usui; nam-  
 que decus & ornamentum platearum  
 dicitur Syrac. 24. v.6. sed quod sub den-  
 sis illius ramis, opacisque foliis multa  
 regi occultariq̄ queant. Unde etiam pa-  
 tentes Platani, Virgilio dicuntur. Lingvâ  
 originali dicitur *שׁוֹמֵר* à nom: *שׁוֹמֵר*,  
 nudus, sine vestibus, quia arbor hæc  
 facile nuda redditur, & decorticatur.  
 Homonyma & synonyma, quæ alias  
 in definitione nominali explicari solent  
 cum hic, nec insignia reperiantur, nec  
 si aliqua reperiri possent, aliquod, silen-  
 tio hic involuta, impedimentum, no-  
 stro causari poterunt instituto. Itaque  
 eadem lubens hic prætereo.

MEMB. II.

**A** Definitione nominis, methodo con-  
 suetâ & commodissimâ, transitum

facimus ad descriptionem Platani realem, quam sistimus talem: *Platanus est arbor frugifera, ad insignem excrescens magnitudinem, ramos gestans longos & latos, foliaque opacissima, ad mundi integritatem hominumque utilitatem, in prima creatione, à DEO rerum omnium conditore producta.* Duo in præsentī hacce data descriptione occurrunt notanda, genus nempe, & differentia, seu quod idem est, conceptus convenientiæ & disconvenientiæ; Genus seu conceptum convenientiæ constituit vox arboris, & quidem illud jure optimo, cum illa sit genus proximum, latior tamen Definitio; clarum est illud, quia immediate arbor prædicatur de Platano, & communis est multis speciebus, nempe quercui, malo, betulæ, &c. de quibus omnibus speciebus rectè dicimus quod sint arbores. Genus autem remotius est planta; remotissima genera sunt, corpus animatum, & deinde substantia.

MEM.

## MEMB. III.

**D**ifferentia per quam ad conceptum restringitur proprium vox *Platani*, indigitatur per verba in Definitione sequentia, ubi dicitur quod sit frugifera &c. ubi tamen mox infirmitatis nostri conscius, rogatum volumus Candidum Lectorem, ut reddat sese contentum vocabulis loco Differentiæ à posteriore desumptis, cum nos lateat exacta ipsius Platani notitia, quæ obtineri non potest, quamdiu perfectissima ipsius formæ cognitione destituimur. Ex formis enim Definitiones à priori desumuntur atque formantur. Dicitur autem arbor frugifera, quo vocabulo discernitur ab infrugiferis, quæ fructum nullum edunt. Distingvuntur namque arbores generaliter in frugiferas & infrugiferas; Illæ vero, diversi generis sunt, vel enim sunt pomiferæ, vel nuciferæ, vel aromaticæ, vel glandiferæ, vel bacciferæ, vel lacrymificæ, vel siliquatae,



&c. Ad classem vero bacciferarum referri solet & debet Platanus. Additur præterea in definitione, hanc ipsam arborem ad insignem excrescere magnitudinem ramos gestare grandes & densos, foliaque opaca; quæ quidem accidentia, quamvis platano cum multis aliis arboribus sunt communia, quod ingenuè fatemur; nihilominus tamen dum per propriam platani formam specificam, ad peculiarem illam mensuram, situm particularum, atque magnitudinem, cæterasque qualitates huic speciei in prima creatione destinatas, sunt directæ atque conformata, veram platani ideam justumque conceptum mentibus nostris sistere omnino valent. Revera hæc ipsa accidentia, quæ jam indigitavimus, platano competere, facile probant tum optimorum testimoniorum constantia, tum ipsa experientia. In Lycia Platanum fuisse, in qua domicilium adeo cavum fuit, ut Lucinius Mutianus ter. Cos. & Provinciæ ejus

ejus Legatus, in eodem domicilio, cum duodevigesimo comite sit epulatus, ut ex Plinio docet experientissimus Jonstonus. Nec minus patulam fuisse platanum quandam in Lydia, quam Xerxes monili aureo donavit, & uni ex immortalibus custodiendam mandavit. Vide! si placet, citatum modo Auctorem pag. 214. &c, Causam vero, propter quam ad tantam excrescunt magnitudinem, puto requirendam esse ex ipsius materiæ dispositione, constat namque platanus ex materia bene compacta, & est mediæ naturæ, inter quercum & faginum, jam notum est, quod corpora, quo sunt duriora, quoque magis particulæ illorum sese invicem attingunt, eo etiam fortius omnibus illis corporibus atque partibus resistere valent, quæ alias sibi mortem atque interitum intentare solent. præterea etiam non benè crescunt hujus generis arbores, nisi in locis riguis & palustribus, ubi per poros atque venas suas, copiosam attrahere possunt ma-



teriam. Hinc etiam ratio reddi poterit, cur nonnullæ arbores, satis compactam quidem habent materiam, quæ corruptionem quam diutissime eludit; interim tamen ad tantam exurgere non valent magnitudinem, ac *Platanus*, quercus, aliæque vastæ arbores; talis arbor est juniperus, quæ maxime est longæva, rarissime tamen, vel forte nunquam æquabit magnitudinem *Platani*. Hinc etiam ratio reddi poterit, cur flores, qui sunt mollioris naturæ, quam maxime corruptioni atque putrefactioni sunt obnoxii. Hic autem nec volumus ipsam formam prætereundam esse, quæ ipsam materiam disponit; Nec tacere debemus, quod partim particulas arboreas ab interitu protegit, partim etiam poros arborum obsidet, & hostiles aliarum particularum impetus propellit, principiorum chymicorum non infimum sulphur. Hæc autem dum scribimus nec dissimulare possumus, quasdam *Platanos* coactionis esse brevitatis, quod tamen forte non indigabit specific-

cificam aliquam differentiam; sed graduallem variationem; prout namque solum est vel aridius, vel humidius, vel pinguius vel macilentius, eatenus etiam notare licet, ipsam quantitatem Platanorum variare. Idem etiam dicendum est de omnium plantarum natura atque dispositione.

#### MEMB. IV.

**N**ihil, præter causam rerum omnium creatorum DEUM, Ter. Opt. Max. est causa sui ipsius, agnoscere itaque necessum est platanum causas, efficientem, materiam, formam atque finem, quas breviter tantum prout fert ratio nostri instituti, explicabimus. Causa Platani principalis est DEUS, in secula laudandus, qui tertia die creationis iussit terram producere arbores frugiferas, quarum species omnes postmodum ad mandatum divinum, DEOque generali sua cooperatione atque confluxu, naturam illarum conservante atque sustentante, conservatæ sunt integræ juxta genus suum; Nec à sui pro-

pagatione, ante totius hujus universi destructionem totalem, definere easdem finet eadem omnipotens Cœlestis Majestas. Speciem itaque platani, mox in prima creatione productam fuisse, tanto est adferendum certius, quanto omnibus evidentius est Doctioribus, & hanc revera esse speciem ab aliis arboribus distinctam, & nullam, post mundi confabratam machinam, de novo ortam fuisse rerum speciem. Dum autem tantum constituimus Platani nostræ Auctorem atq; conservatorem, nempe DEUM T. O. M. Non est nobis mens excludere causas reliquas, sive universalem, sive particularem, effectum proxime determinantem, & quæ sunt cœteræ, quæ hic observari merentur. Nam probe scimus, quod seposito illo influxu illisque præcis operationibus, quas Cœlum, stellæ, omniaque corpora cœlestia in hisce rebus sublunaribus exercent, admodum impares reddentur causæ particulariores effectibus suis producendis. præcipue autem venerari hic debemus

calorem corporum cœlestium, tanquam benignissimum naturæ aluminum, illa namq̄, quamvis in se, vel sua natura calida non sint, vim tamen obtinent efficacissimam excitandi calorem, motum atque varias operationes in hisce terrestribus. Et quemadmodum, ut Philosophus ait, sol & homo generant hominem; ita & sol & platanus generant platanum, adeo ut Platanus causa sit immediata & proxima platani, vis namque seminalis, & benedictio divina, quam semel obtinuit unaquæque species, adhuc retinet, & prima illa vox DEI, singulis creaturis impertita gignendis, naturæ lex est, quæ terris in omne ævum remansit. Unde Ambrosius L. III. Hexaëm. c. IV. in hanc incidit exclamationem: *Quam vehemens vox! germinet omnis terra.* Repræsentat autem hoc semen platani ideas præcipuas, saltem in minori forma, nam statuere non audemus feminis vel minimam molem continere arboris futuræ, non solum partes, sed & partium pars

te-

tes, adeo clare, ut cuivis oculo, vel præcipue armato, pateant, & nihil aliud nutrimentum efficere, quam substantiam seminalem explicare atque extendere. Cum hæc sententia quamplurima secum trahere posset absurda.

MEMB. V.

Quandoquidem nullum fore spero, qui audeat negare platano suam materiam, vel etiam dubitare num eadem sit elementaris, ideoque tanto breviores erimus in ejusdem explicatione; Tantum illud monentes, quod quemadmodum præcipue delectari solet, hæc arbor locis, ut ante dictum est, humidioribus; ita & procul dubio temperamento est frigidiori, dominiumque obtinent qualitates humidæ, cui rei etiam fidem videtur facere, quod arctioribus gaudeat platanus poris, arctiusque sese invicem connectant partes materiales, quam alias fit in arboribus siccioribus, utpote pino, abiete &c. attrahuntur namque & in varias partes arboreas  
per



per poros disponuntur particulæ elementares, in alimentum arborum à natura destinatæ. Nec in dubium revocari debet, arboribus suos esse poros, suas venas, suasque arterias, per quandam analogiam cum partibus ejusmodi in animalibus, convenientes, in quibus circulantur, fermentantur, atque in substantiam arboream convertuntur, particulæ in nutrimentum cedentes. Si autem hæc circulatio per dictas venas non admitteretur, nescio quare quædam arbores moriantur, dum vel folia, vel rami, dentibus venenatis avelluntur, & partes læsæ non demuntur. Nec negari poterit arboribus ipsa fermentatio; sine qua substantia illa, quæ loco nutrimenti ex terra & locis vicinis insinuat sese poris arboreis, in substantiam arboream minimè converti posset, clarum namq; est, omne fermentum, corpora sibi obvia, in sui simile redigere, conari: quod ex variis rerum mutationibus clarum evadit, & si experiri cuiquam volupe fuerit, immittat particulam ferream, quæ

aquæ minerali cuprifodinæ, inveniat sanè post aliquot annos totum ferrum induisse naturam cupri. Sic ligna in lapides mutata fuisse legimus, imo & corpus piscium in molem lapideam transformatum aliquando esse compertum est. Sed forte hic objici posset ex Hortulanorum experientia, quod sæpe furculus & ramulus optimæ naturæ arboris, delicatissimosque fructus ferentis, arbori feræ, pessimique generis inleri posset, & nihilominus furculum suam bonitatem, totam arborem suam malitiam retinere posse. Cur ne etiam hic fermentum feræ arboris, insiti illius furculi invaderet recessus, illum mutaret, sibiq; similem faceret? Sed respondetur: Quod quemadmodum in eodem solo crescunt plantæ, & venenatæ, ut lethale solanum; & optimi generis, ut Canna saccharata, quæ similem liquorem, idemque forte nutrimentum per poros, & venas radicum transmittunt, nihilominus tamen certum est idem hoc alimentum prout variat natura atque constitutio cujusq;

ar-



arboris, mutari & disponi; ita sane evenire credo in corporibus tam animatis, quam inanimatis, ut idem alimentum, prout fert cujusque membri constitutio, partiumque dispositio, alias atque alias qualitates induere poterit, adeo ut succus qui dum per radices, venas atq; arterias austeræ arboris adscendebat, prout ferebat sui subjecti natura, austerus fuit. Idem surculo insito communicatus, â fermento ibi obvio, facile aliam partium dispositionem, aliam formam, diversumque saporem accipere posset.

### MEMB. VI.

**S**ed ne opinetur quis nos in illa esse sententia, quod materia, sibi relicta, his ipsis operationibus, vel in platano, vel aliis corporibus peragendis sufficiat, adsignamus platano suam formam, quâ ab aliis arboribus distinguitur, qua operatur, augetur atque nutritur, adeo ut ubicunque semen sit, ibi etiam est forma, quæ semen actuat, disponit, explicat, & in futurum fructum præpa-

parat. Sunt quidem multi in illa opinione, quod terra ex se, satis sufficiens sit ad producendum semen, adeo ut ad hujus procreationem nihil magis requiratur, quam particularum terrearum collectio, motus peculiaris à calore ortus, certa que & cuius species conveniens dispositio, quæ accidentia sufficere dicuntur, non solum ad plantarum; sed & animalium productionem. Sed hæc sententia mihi videtur impugnare non solum ipsam rationem, verum etiam sensum scripturæ sacræ, nam Gen. I. v. II. clare distinguitur inter terram (quæ ante diem tertium creationis nullum semen continebat, nec absque benedictione divina fructum proferre poterat, quamvis vel artificiosissimus Physicus particulas ejus disponere tentaret) & arborem & semen, quod nunquam est sine sua forma specifica. quæ omnia ad plantæ productionem, necessario requiruntur. Nec satis firmiter exinde hæc sententia sollicitatur, quod ex terræ profunditate erui posset aliqua  
ma-

materia, ex qua deinde variæ excitari queant plantæ, quin & in turribus, everfis ædificiis, multisq; aliis locis reperiri possint fructus, qui ibi nunquam antea sunt visi; cum benedictio divina in prima creatione, procul dubio, feminibus specierum totam fere terram impleverit. Et quamvis in profunditatibus terræ, nullæ concipi debent plantæ, nihilominus tamen non credo satis firmiter ibi negari omne semen; nam causa hic impedita â lapidibus incumbantique terrâ, effectum producere nequit. Et posito ibi nullum dari semen nisi in terræ superficie tantum; tamen sexcenti excogitari possent modi, quibus specierum semina transportari possent, & in turre dirutaque ædificia, & in terram ex profunditate erutam, & quæ sunt cætera. quibus omnibus hic enumerandis, propositi mei memor, lubens supersedeo, curiosisque mentibus eosdem percutandos modeste relinquo.

B

MEMB.

MEMB. VII.

DEUM & Naturam nihil facere frustra, jugiter sibi revocant in memoriam, piæ cordatæque mentes, enunciat itaque atque enarrat DEI gloriosi gloriam, conditorisque sui sapientiam, decus hoc arborum, Platanus, cedit etiam in insignem usum hominum; cortices namque decoctos dolorem dentium tollere, dum eisdem aquæ admixtis dentes lavantur; pillulas cum adipe ambustis inservire; E baccis sale & aqua maceratis oleum ad lumina confieri, testis est antea citatus experientissimus Doct. Jonstonus. quæ tamen num vera sint Medicis dispicienda relinquimus. Nec præteriri hic debet insignis illa delectatio, quam foliorum, ramorum, fructuum, imo uno verbo: tota arbor inspicientibus parit; quæ tanta est, ut pro umbra ejus tributum pendere vellent Morini, & mero intuso hanc arborem rigare non dedignati sint

sint populi delicatiores. Agamem non etiam hanc eandem propria sua manu, Delphis plantare non grave duxerit, vid, Auct. modo cit. p. 214.

MEMB. VIII.

**M**ors etiam saxi marmoribusque venit, id quoque Plano evenit; Hæc namque non minus quam animalia, reliquæque plantæ suas habet ætates, suasque periodos, ut tandem eidem etiam emori necessum sit & in sua principia resolvi, quod fit à nimia pororum ejus constrictione, dum materia in nutrimentum necessaria amplius in ea copia quam desiderat arboris magnitudo ingredi non potest, Poros autem successu temporis necessario minui atque constringi, inde ostenditur, quod succus ex terra elevatus; qui per venas arboreas transit, semper aliquid in transcurso, quamvis exiguum, relinquit, quod quia quotidie augetur, & vasorum pororumque lateribus lensim



adcrefcit, obftructionem tandem magnam caufatur, & mutatâ fic & dene-gatâ materiâ alibili, arborisque dif-  
 pofitione, paulatim corrumpitur perit-  
 que tota arbor. Quærenti autem  
 quare hæc obftructio non ftatuatur mox  
 in arboribus junioribus? Refpondetur:  
 Illas adhuc molliori gaudere materia  
 & corpore, cujus particulæ atque pori,  
 etiam nonnihil cedunt materię influ-  
 enti, magis magisque extenduntur &  
 explicantur prout fert natura accre-  
 fcientis arboris. Deficiente autem fucco  
 neceffario, humido radicali, & calido  
 innato, neceffario omnes corrumpi plan-  
 tas, eft neceffe, tam juniores quam fe-  
 niores. Et tantum fuper hac præfenti  
 fatisque difficili materia, meditari va-  
 luit mea tenuitas; Te autem O benigne  
 Lector majorem in modum precor  
 hisce meis conatibus, quamvis im-  
 becilibus, pro folito tuo fa-  
 veas candore!

*O Pater æternum; tibi fit & gloria nato!  
 Spiritui femper, gloria fitq; faero!*

Disertationis hujus AUCTOR & RESPONDENS,  
*Popularis & amice lectissime;*

**E**st Platanus facile species celeberrima sylvæ:  
Hæc etenim, loca amans viridantibus hu-  
mida pratis,  
Explicat umbrifera sua brachia ad æthera fron-  
de: et

Luxuriosa comis, avibus placidissima præbet  
hospitia, & medios homini bene temperat æstus.  
Roma diu huic Platano tantū tribuebat honoris;  
Ut, vino infuso radicibus, alta sit olim:  
Una fuit Lyciæ, plus octogena pedum; intra  
quam Mutianus, cum duodevicesimus esset,  
Est epulatus: & in Creta fuit una, sed illa  
Floruit æternum gratisima, fronde virente:  
Lydia, temporibus Xerxis, perhibetur & unam  
progenuisse; eademque olææ subiisse figuram;  
Cui Rex aurea, cum custode, monilia donat.  
Quod Platanus nostra in Patria quoque proge-  
neretur,

Et nomen quod habes, & Disertatio præsens  
Edocet: Hac satagis dare quæ sint arboris hujus  
Radix, cortex, stirps, rami, frons, bractea, flores,  
Fructus: & ut feriat sublimi vertice cælum:

Quamq; probe *πλάπος* sit nomine condecorata.  
Macte bonis avibus sic spes implere Tuorum!  
Sic Tuâ ubique Dells Jam spes: SIC VIVE  
VaLeque!

JOHAN. HELINUS,



Mularum Morumque Cultura

*Peregrinio & Præstantissimo Viro Juveni,*

Dn. JOHANNI Lönwall /

amico singulariter honorando, Dissertatione hac egregia de PLATANO, industriam suam singularem probanti, commendabiles in studiis profectus,

Verbis quidem hisce paucioribus sed mente prolixiori gratulatur

**F***æcundo ut crescit Platanus genialis in arbo,*

*Et semper patulis frondet amicta comis;*

*Sic Tibi succrescat pariter Tua lausque decusque,*

*Messisque ingenii fiet adulta Tui!*

*Utque Tua hæc viridis frondes late explicat arbor;*

*Sic rata & incepti sint pia vota Tui!*

NICOLAUS M. FRIDELINUS,

S. R. M. Alumnus.

Ad

VIRUM JUVENEM,

*Doctrina & vitæ integritate conspicuum,*

Dn. JOHANNEM S.

LÖNWALE;

Amicum & popularem per dilectum,  
de Arcanis Platani solerter di-  
sputantem.

ACCLAMATIO GRATULATORIA:

Quod juvat immenso Musas coluisse la-  
bore,

*Et sacro Aonidum dura tulisse choro.*

Edocet exemplo jam dissertatio presens,

*Quam scripsit Lönwalle Sympatriota  
meus;*

Natura pergis quoniam penetrare recessus,

*Lönwalle / Thespiadum & pulpita adire  
paras,*

Rem facis egregiam vel summa laude ve-  
hendam,

*dumque refers Platanum, nomen & omen  
habet.*

Pergas sic porro doctis insistere cæptis,

*Ut fias patrii gloria magna soli,*

Non

Non patet ignavis studiosis culmen honoris,  
Et male pugnanti nulla corona datur;  
Te quia Musarum stimulat Sopihiæque cupido,  
Pierides tandem premia digna dabunt.  
Gratulor ergo tibi, soboles peramœna parentum,  
Ætatis florem quod ratione teris.  
Gratulor ex animo quod magna modestia lucet  
In verbis, factis, gestibus, ore, manu,  
Hæc laus, hoc decus est speculum virtutis  
Et ingens,  
Exultent Musæ pindus Et Hæmus ovent!  
Ausus hosce tuos, conamina, cœpta, labores  
Prosperet Et foveat, adjuvet ipse DEUS!  
Interea patulo nomen florebit in orbe,  
Atria celsa Poli cœtera pars teneat.  
Vive diu felix annos cape Nestoreosque,  
Sis nunc Et semper faustus in orbe! vale!

JONAS Ekedahl/  
S. R. M. Alumnus.

